



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De vero intercessore, atque instituti hujus dispositore, 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

## C A P V T VI.

*De vero intercessore, atque instituti hujus  
dispositore.*

1. **Q**uem alium enim dirigam intercesso-  
rem pro me tibi, nescio: nisi hunc,  
qui est pro peccatis nostris propitiatio: qui  
sedet ad dexteram tuam, qui etiam in com-  
muni sibi gloria pietatem tuam interpellat  
pro nobis. Ecce advocatus meus apud te  
Deum & Patrem. Ecce Pontifex summus  
qui non eget alieno expiari sanguine, quia  
proprio fulget perfusus cruore. Ecce hostia  
sancta, beneplacens & perfecta, in odorem  
suavitatis & oblata & accepta. Ecce agnus si-  
ne macula, qui coram se tondentibus obmu-  
tuit; qui plagis cæsus, sputis illitus, probris  
affectus, os suum non aperuit. En qui pec-  
catum non fecit, peccata nostra pertulit, &  
languores nostros suo livore sanavit. Aspice,  
pie Pater, piissimum filium tuum, pro me  
tam impio passum. Respice, Pater clemen-  
tissime, eum qui patitur: & reminiscere be-  
nignus, pro quo patitur.

2. Nonne hic est illé innocens, mi Domi-  
ne, quem ut servum redimeres, filium tra-  
didisti? Nunquid non auctor vitæ hic est,  
qui ut ovis ad occisionem ductus, tibi que  
obediens usque ad mortem factus, atrocis  
non timuit necis subire genus? Recole, to-  
tius salutis dispositore, quia hic ipse est, quem  
etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen in-  
firmitatis participem fieri voluisti. Vere hæc  
est tua Deitas, quæ meam induta naturam,  
crucis

crucis ascendit patibulum, assumptaque carne, triste tulit supplicium. Reduc, Deus meus, oculos majestatis super opus ineffabilis pietatis; intuere dilectum natum, toto corpore extensum; cerne manus innocuas, promanantes sanguine: & remitte placatus scelera, quæ patrauerunt manus meæ. Considera inerme latus, crudeli fossum cuspide, & renova me sacrosancto fonte illo, quem inde fluxisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis, & perforce gressus meos in semitis tuis. Fac me odio habere omnem viam iniquitatis: viam iniquitatis amove à me, facque me propitius viam veritatis eligere.

3. Oro te Rex sæculorum per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum; ut ei valeam spiritu uniri, qui non horruit mea carne vestiri. Nunquid non attendis, pie Pater, adolescentis filii charissimum caput, nivea cervice deflexa pretiosa resolutum in morte? Aspice, mitissime conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia; pendent crura marmorea, rigat trebratos pedes sancti sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gratissimæ prolis lacerata membra; & memorare benignus, quæ mea substantia. Conspice Dei hominis poenam, & re-

& releva conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium, & remitte redempti delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus, in quo tibi bene complacuisse. Hic est ille innocens, in quo dolus inventus non est, & tamen cum iniquis deputatus est.

## C A P V T VII.

*Redemptoris innocentis, & perditinocentis, inter se comparatio; ac hujus renovatio.*

I. **Q**uid commisisti dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti amantissime juvenis, ut sic tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ livor passionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterii dispositio! peccat iniquus, & punitur justus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua desagravit charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? Ego enim inique egi, tu poena mulctaris: ego facinus admisi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris:  
ego